

Jurisprudence*

1. Supreme Tribunal of the Apostolic Signatura, decree of the Congresso, *Reductionis in usum profanum ecclesiae X*, prot. n. 46790/12 CA, May 28, 2013.

Prot. N. 46790/12 CA

N

**Reductionis in usum profanum
ecclesiae X
(D.nus Y et alii – Congregatio
pro Clericis)**

DECRETUM

1. Decreto diei 5 octobris 2004, Exc.mus – dein Em.mus – Archiepiscopus N decrevit suppressionem paroeciae personalis X pro W in regione v.d. East N, statuens fideles curam pastoralem recipere posse apud paroecias territoriales in illa regione, bona et onera paroeciae suppres-

* The Latin text of these decrees and their unofficial English translation prepared by William L. Daniel are published with the permission of the Supreme Tribunal of the Apostolic Signatura. All footnotes in this section are attributed to the translator.

sae, ecclesia paroeciali inclusa, obvenire ipsi Archidioecesi, atque libros paroeciales transferri ad paroeciam Z, quae videtur paroecia territorialis intra quam ecclesia X sita est. A die vero suppressionis, etsi Archiepiscopus accessum ecclesiae suspensum tenebat, quidam fideles eam cotidie etsi non continuo obsidebant et ibi cultum divinum publice exercebant, interdum etiam cum permissu Em.mi Archiepiscopi. Die 17 martii 2005, d.na V, tamquam praeses coetus "X Survivors", recursum interposuit apud Congregationem pro Clericis, quae vero decreto diei 12 maii 2005 recursum reiecit ob terminos non servatos.

2. Postea Em.mus Archiepiscopus peritias circa ecclesiam X conficiendas curavit necnon relationem circa statum sive paroeciae suppressae sive paroeciae Z. Expetita quoque sunt et vota christifidelium olim ad paroeciam suppressam pertinentium, et votum Rev.di Parochi Z, qui, auditis consiliis pastoralibus et aliis, reductionem ecclesiae in

usum profanum Em.mo Archiepiscopo commendavit. Quae omnia Em.mus Archiepiscopus cum membris consilii presbyteralis communicavit, quae in sessione die 19 maii 2011 habita, re exposita et discussa, votum pro reductione ecclesiae expresse-runt. Qua investigatione et consultatione expleta, die 14 iulii 2011, Em.mus Archiepiscopus reductionem ecclesiae X in usum profanum decrevit.

3. Remonstratione frustra facta, d.mi Y, B et C die 29 augusti 2011 recursum hieraticum interposuerunt coram Congregatione pro Clericis, quae, exhibito memoriali pro recurrentibus una cum ulterioribus documentis et auditio Em.mo Archiepiscopo, qui pariter animadversiones documentaque exhibuit, tandem aliquando die 23 martii 2012 recursum reiecit tamquam fundamento in facto et in iure carentem. Quo decreto notificato, Em.mus Archiepiscopus ulteriorem introitum in ecclesia fidelibus denegandum curavit.

4. Quam adversus decisionem Congregationis, d.ni Y, B et C instantia diei 18 maii 2012 provocaverunt ad H.S.T. Res dein rite discussa est inter Cl.mos Patronos partium et Rev.mum Promotorem Iustitiae deputatum.

**SUPREMUM SIGNATURAE
APOSTOLICAE TRIBUNAL**

5. Praemisso quod obiectum recursus coram hoc Supremo Tribunali est asserta illegitimitas decreti Congregationis pro Clericis diei 23 martii 2012 (cf. art. 34, § 1 *Legis propriae*), quo Dicasterium reiecit recursum die 29 augusti 2011 interpositum adversus decretum diei 14 iulii 2011, quo Em.mus Archiepiscopus N ecclesiam X in usum profanum non sordidum reduxerat;

6. Attento quod, ad normam can. 1222, § 2, “ubi aliae graves causae suadeant ut aliqua ecclesia ad divinum cultum amplius non adhibeatur, eam Episcopus dioecesanus, auditio consilio presbyterali, in usum profanum non sordidum redigere potest, de

consensu eorum qui iura in eadem sibi legitime vindicent, et dummodo animarum bonum nullum inde detrimentum capiat”;

7. Quoad assertam violationem legis in procedendo ob defectum consensus eorum qui iura in ecclesia sibi legitime vindicant, vel saltem ob omissam consultationem, de quo in can. 50, perspecto quod:

- Iuxta pernotum decretum definitivum H.S.T. diei 21 novembris 1987, prot. n. 17447/85 CA, “Iura de quibus sermo fit in canone sunt praesertim iura patrimonialia vel eis assimilata, quae magna ex parte e fundatione vel aedificatione ecclesiae exsurgunt”; quae iura insuper, iuxta iurisprudentiam H.S.T., probanda sunt;

- In casu non constat adesse christifideles qui iura in ecclesia sibi legitime vindicant;

1. Supreme Tribunal of the Apostolic Signatura, definitive decree of the College c. Castillo Lara, *Demolitionis ecclesiae*, prot. n. 17447/85 CA, November 21, 1987: in *Ministerium Iustitiae. Jurisprudence of the Supreme Tribunal of the Apostolic Signatura. Official Latin with English Translation*, trans. William L. Daniel, Gratianus Series (Montreal: Wilson & Lafleur Ltée, 2011) 447–460, at 458, no. 7b (hereafter *Ministerium Iustitiae*, 1).

- Ceterum, constat Em.mum Archiepiscopum opinionem olim paroecianorum X exquisivisse;

8. Quoad assertam violationem legis in procedendo ob auditionem illegitimam consilii presbyteralis, constat Em.mum Archiepiscopum necessarias notitias collegisse atque votum informatum et ponderatum e membris consilii presbyteralis exquisivisse, ad normam can. 1222, § 2, antequam decisionem definitivam die 14 iulii 2011 tulerit, ita ut haud agatur de mera approbatione pro forma decisionis definitivae iam anno 2004 latae;

9. Quoad assertam violationem legis in decernendo ob defectum causae gravis, de qua in can. 1222, § 2, praemisso quod iuxta iurisprudentiam H.S.T. gravitas causarum fundamentum obiectivum habere debet, sed ipsa gravitas aestimanda est attentis circumstantiis concretis in casu habitis:

- “Causae ergo a lege requiruntur graves, nec gravissimae:

excluduntur igitur nugae vel causae quae suapte natura graves haberi nequeunt, dum e contra gravitas causae, etsi apparenter levi inititur fundamento, diversimode aestimari potest si diligenter considerentur circumstantiae vel loci, vel rei oeconomiae vel personarum, quae Ordinario apprime innotescunt: re quidem vera quaestio est facti" (Sent. H.S.T. diei 4 maii 1996, *Greensburg.*, prot. n. 24388/93 CA);

- "Gravitatis autem notio non quid absolutum est, sed dimetienda est ex summa elementorum ex quibus deduci potest rem minime parvi momenti esse sed potius pretii ac ponderis haud spernendi. Opponitur causae gravitati vel radicitus causae absentia vel causae levitas, exiguitas et ita porro, ratione semper habita rei de qua agitur. Iudicium vero de gravitate causarum spectat primum ad Episcopum, sed iudicium fundamentum obiectivum habere debet. Quare constare potest de legis violatione in decernendo solummodo si adductae causae manife-

2. Cf. Supreme Tribunal of the Apostolic Signatura, definitive sentence of the College c. Agustoni, *Greensburg.*, *Reductionis ecclesiae in usum profanum*, prot. n. 24388/93 CA, May 4, 1996: in ibid, 514–528, at 524, no. 6.

ste natura sua non sunt graves vel si probatur eas in casu graves non esse" (Sent. H.S.T. diei 8 novembris 1997, *S. Francisci in California*, prot. n. 25322/94 CA; cfr. Sent. H.S.T. diei 18 ianuarii 1997, *Pittsburgh*., prot. n. 25530/95 CA);

- Quae causa vero non tantum gravis sed etiam pertinens esse debet: "... norma canonica relate ad aedem sacram observanda exigit ut iudicium Episcopi de ecclesia ad usum profanum redigenda fundamento obiectivo, scilicet causa gravi, innitatur. Hoc in casu, distinguendae sunt causa ad paroeciam supprimendam et causa ad ecclesiam ad usum profanum redigendam" (Sent. H.S.T. diei 21 maii 2011, *Loiden.*, prot. n. 42278/09 CA);

- "Sufficere praeterea nequeunt rationes motivae characteris generalis uti v.gr. reductio numeri sacerdotum, numerus

3. Supreme Tribunal of the Apostolic Signatura, definitive sentence of the College *c. Burke, Loiden.*, *Reductionis ecclesiae in usum profanum*, prot. n. 42278/09, May 21, 2011: in *Ministerium Iustitiae* vol. II. The "Lex propria" and More Recent Contentious-Administrative Jurisprudence of the Supreme Tribunal of the Apostolic Signatura, trans. William L. Daniel, Gratianus Series (Montreal: Librairie Wilson & Lafleur Inc., 2021) 307–316, at 312, no. 5 (hereafter *Ministerium Iustitiae*, 2).

elevatus aedificiorum sacrorum. Necessarium est in singulis casibus probare reapse haberi causas graves. ... Necessarium autem erat diligenter distinguere inter processum reordinationis paroeciarum et determinationem quoad statutum canonicum aedificii sacri" (Sent. H.S.T. diei 21 maii 2011, *Syracusen.*, prot. n. 41719/08 CA);

10. Ad rem perpenso quod ex actis constat – et a recurrentibus admittitur – quod Archidioecesis N, quae sola onus gerebat conservandi, reparandi et renovandi ecclesiam Y, in circumstantiis difficillimis versabatur, ita ut, severis rationibus ad expensas reducendas iam adhibitis, nihilosecius mediis sufficientibus non fruebatur ad fines Ecclesiae proprios assequendos, praecipue cultum divinum ordinandum, honestam cleri aliorumque ministrorum sustentationem procurandam, opera sacri apostolatus et caritatis, praesertim erga egenos, exercenda (cf. can. 1254, § 2); hisce in circumstantiis, unumquodque impendium Archidioecesis caute aestimandum erat; Em.mus

4. Supreme Tribunal of the Apostolic Signatura, definitive sentence of the College c. Caffarra, *Syracusen.*, *Suppressionis paroeciae B et reductionis ecclesiae in usum profanum*, prot. n. 41719/08 CA, May 21, 2011: in ibid., 283–297, at 294 and 295, no. 8.

Archiepiscopus, omnibus mediis et necessitatibus aequa cibratis et sedulo ponderatis, maximum bonum totius Archidioecesis per usum prudentem bonorum temporalium ad normam legis, consultis consultandis salvisque iuribus, promovere tenebatur;

11. Quoad ecclesiam Y in specie, considerato quod Em.mus Archiepiscopus conditionem concretam ecclesiae perpendere debuit, ratione habita praeceps tam de aestimatione, a peritis facta, pecuniae necessarie impendendae nunc et in posterum pro conservatione, reparatione et renovatione ecclesiae, attentis etiam pecuniis ad dictum finem recentioribus annis de facto impensis, quam de defectu aliorum fontium sustentationis ecclesiae sufficientium;

12. Pro comperto habito quod:

- Congregatio pro Clericis iudicavit motiva ab Em.mo Archiepiscopo expressa et expli-
cata fundamentum obiectivum habere atque, simul sumpta,
causam gravem pro reductione

ecclesiae in usum profanum non sordidum constituere;

- Summa necessaria pro conservatione ecclesiae, etiam demptis impensis quae forte ipsi Archidioecesi tribuendae sunt, v.g. ob defectum calefactionis et non-usum ecclesiae, attenta condicione Archidioecesis nihilosecius spernenda haud videtur;

- Rebus sic stantibus, quidquid iterum iterumque dicunt recurrentes, non demonstratur Congregationem in suo iudicio erravisse;

13. Quoad tandem assertam violationem legis in decernendo ob damnum animarum e reductione ecclesiae X in usum profanum provocandum, praesertim ob difficultorem accessum ad alias ecclesias, attento quod:

- Iuxta iurisprudentiam H.S.T., reductio alicuius ecclesiae "pro recurrentibus fons esse potest quorundam incommodorum seu difficultatum, v. gr. ob longius iter faciendum, ob deficien tem organisationem vel haud prosperam curam pastoralem. . . . Sed huiusmodi interesse, etsi reale, non appetet in lege ita fundatum ut legitimet verum recursum, ansam quidem praebere

potest pro *petitione gratiae*, minime vero pro recursu iuridico" (Decr. Def. diei 21 novembris 1987, prot. n. 17447/85 CA);

- Utcumque, quidquid est de assertis incommodis, non inde habetur fundamentum pro asserta violatione legis in decernendo ex parte Congregationis pro Clericis, quatenus iudicavit satis provisum fuisse ne e reductione ecclesiae in usum profanum haberetur verum damnum boni animarum;

14. Praetermissis aliis forte animadvertis;

Re sedulo examinata in Congressu, die 28 maii 2013 coram infrascripto Em.mo Praefecto habitu,

decrevit:

**Recursum contra decretum
a Congregatione pro Clericis
die 23 martii 2012 latum
non esse admittendum et
facto non admitti ad discep-
tationem coram Em.mis et**

5. See note 1 above for the full reference. Cf. *Ministerium Iustitiae*, 1:458, no. 7b.

**Exc.mis H.S.T. Iudicibus,
quippe qui manifeste quovis
caret fundamento.**

Cautio pro expensis in arca
huius Supremi Tribunalis
deposita retinetur. Partes suo
quaeque Patrono congruum
solvant honorarium.

Adversus hoc decretum datur
recursus ad Collegium
Em.morum et Exc.morum Iudi-
cum ad normam art. 84 *Legis
propriae*, qua haec Signatura
Apostolica regitur.

Et notificetur omnibus
quorum interest, ad omnes iuris
effectus.

Datum Romae, e sede
Supremi Signaturae Apostolicae
Tribunalis, die 28 maii 2013.

Raimundus Leo Card. BURKE
Praefectus

☩ Franciscus DANEELS,
o.praem., *Secretarius*